

PHALEUCIUM

O Juni optime, o miselle Juni,
 Quem cursu in medio severa Clotho
 Nuper sustulit heu! tuis dolendum
 Amicis pariter, sodalibusque.
 Ob tuum illi obitum ore moesti, et atris
 Induti tunicis movent Latinam,
 Nostratemque chelyn, tuumque spargunt
 Bustum largifluo imbre lacrymarum;
 Sparsuri et violis, rosisque, cum ver
 Proximis tepidum efferet diebus.
 Sic partem illi aliquam sui doloris
 Levant, nomine saepe te vocantes.
 Conjux at melius tibi heu! superstes,
 Quae te plus oculis amabat ipsis.
 Nam, tibi monumentum ut aere possit
 Ipso surgere firmius, Latine
 Quae scripsi egregia, aureoque digna
 Saeclo carmina gestit, optat, ardet
 Jam vulgare typis Bodonianis.
 Haec solatia mortis illi, amicis
 Haec at lecta tuis velut renasci
 Te hos inter facient, tuorum et ampla
 Merces hinc veniet tibi laborum,
 O Juni optime, o miselle Juni.

G. FERRICK